SYNODUS DIOECESANA

SANCTÆ BENEVENTANÆ ECCLESIÆ

Ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino

JOANNE BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA TIT. S. PANCRATII
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

B U S S I

A R C H I E P I S C O P O

Celebrata juxta antiquum ejusdem Ecclesiæ morem
die 24. Augusti 1833.



B E N E V E N T I MDCCCXXXIII.

Apub Petrum Paul. Paternò Typogr. Archiepiscopalem

JOANNES BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA

TIT. S. PANCRATII S. R. E. PRESBYTER

CARDINALIS BUSSI

S. METROPOLITANÆ ECCLESIÆ BENEVENTANÆ

ARCHIEPISCOPUS.

Decretum de Synodi aperitione.

In Nomine Sanctissimæ, et Individuæ Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Serpens ille humano generi semper infensus sinuosas ambages ingeminat hisce tempestatibus, ut debiles circumferat omni vento doctrinæ, et cuncta, quæ Religionem sapiunt, perturbet atque convellat. Circuit is per loca impervia, quæritat ubique quem devoret, nihil inexpertum relinquit; nec fragilem sexum, vel infirmam ætatem illum pudet inficere viro acerbitatis suæ. Fortunatam quidem gentem, cujus sors vaferrimi hostis non pateat insidiis! At ubinam hæc degit, quænam invenietur? Quamobrem cum mala ingruant, librorum impiorum præsertim vulgata congerie, quis a formidoloso deceptore tutabitur mentes, et corda fidelium? cuine tuto se credet auxilii indigens, aut optimi ducis?

Sola Ecclesia est, Dilectissimi, ad quam securi confugiatis; qua sustineamini, cujus voce horrenda mala vitetis omnibus cumulati bonis. Ipsa enim est columna, et firmamentum, ipsa lucerna in candelabro posita, quæ lucet omnibus; quam vero si prono animo quisque sequatur, et toto corde revereatur, nunquam errorum colluviem jam nimis exundantem pertimescet. Nam quisquis Ecclesiæ auctoritati innititur, non labetur, nec vel hilum a veritate aberrabit. Ecclesia enim, ait Bernardus (a) *secum habet consilium et spiritum Sponsi, et Dei sui, cui dilectus inter ubera commoratur, ipsam cordis sui sedem principaliter possidens, et conservans* ». Idcirco sicut non frustra colitur auctoritas illius, sic neque impune contemnitur; cum ejus vox ipsius Domini Jesu Christi sit vox, quam agnoscere ac venerari maxime ad salutem confert. Et re quidem vera quis unquam tam piæ Matris, et indefectibilis Magistræ obsequens doctrinis in errorem prolapsus est miserrime?

Illi e contrario, qui ex Ecclesia non fuerunt, vel extorres ab ipsa facti sunt, de errore in errores, de turpitudine in turpitudines semper precipites ruerunt. Ne autem novis exemplis multum fatigemini, ad trutinam revocate somnia jam alibi Vobis patefacta; Eorum nempe, qui non ingenium ad res naturales, uti par est, sed effrani suo ingenio potius res accom-

(a) *Serm. 3. in Vigil. Nat. Dom.*

modare satagerunt, quin immo distantia perperam conjungentes divina humanis, pessime mentiti sunt, et sua deliramenta veluti firmissimas veritates blaterantes, absurdum ab hominum memoria inauditum excogitarunt. Hoc pacto subsistentiam, et characteres, qui singulis tantum subjectis conveniunt, humano generi, homini scilicet etiam futurorum collectioni optime congruere, venditare audent, atque inesse.

Deus profecto præstituerat temporis melioris cursu quaquaversus diffundere ineffabile beneficium revelatæ Religionis; ac proinde suavi, et successivo ordine cuncta disposuit sapientissimo consilio, ut principio concrederet mysteria sublimia quibusdam electis familiis, deinde ceu e germine uberiore propagatione doctrinæ cœlestis fructus succrescere vellet in tota gente; demum numeris omnibus absolutam spargeret, et diffunderet in omnes Orbis plagas. Ex ordinatissima hac, et mira prorsus rerum progressione ad præstitutum finem quisne eruere audebit totum credentium gregem, qui eas veritates professi hactenus sunt, et confitebuntur, constituere unam personam post ortum quodammodo enutritam, roboratam, atque perfectam secundum ætatum vicissitudines vocabulis distinctas infantiæ, adolescentiæ, et virilitatis? Quisne nisi insanus poterit accipientibus tribuere, quod ne ad donum quidem ipsum spectat? Ergone Ægyptiacam servitutem, et Judaicæ gentis dissolutionem, quia ipsa interruptione clariores paraverunt Religioni triumphos, nuncupabimus epochas cri-

ticas; legis vero scriptæ promulgationem indicabimus oppositis vocibus epocharum organicarum personæ phantasticæ?

At quæ hic per transennam innuimus, alia permulta hujuscemodi æque respiciunt, quibus enumerandis jure abstinemus. Attamen in dubium revocari nequit his insomniis perfide callidos hostes uti in bonorum morum perniciem ac sinceræ fidei ruinam; maxime cum fucatis illecebris vas pestiferum imperitis labiis admovere soleant, ut incauti specie decepti babylonica fæce inebrientur. Qua de re diligentia sedula opus est animadvertere, hisce fallaciis eos fuisse irretitos, qui Ecclesiæ oracula despicientes suis obsecuti sunt opinionibus, suoque fisi ingenio. Adhæreant igitur fideles, adhæreant et magis pastores firmiter doctrinis, et auctoritati Ecclesiæ: doceant et isti neminem offensurum in malum, et turpiter casurum, qui alacri respuat animo, quod Ecclesia rejiciendum proponit; amplectiturque, quod et accipit illa. Vestrum tamen est, Vener. Sacerdotes, illos omni cura tueri, ad optima ducere pascua, et contra potestates tenebrarum harum pugnantes armis instrui non carnalibus; sed veritatis, fidei, et scientiæ sanae, quæ sola conducunt ad detegendas hostis insidias, et ejus vallum, quoad ejus fieri poterit, destruendum.

Hoc certe pacto rite militabitis in castris Domini, quo nihil suavius, nihil gloriosius, nihil antiquius esse, aut excogitari poterit; hoc pacto triumphum ex detecto, ac profligato spiritu erroris, nequitiæ, et impietatis referetis.

Sed ad hoc acquirendum nostræ militiæ Cohortes arctissimo perfectioris charitatis vinculo inter se conjunctæ sint oportet, atque ordinatæ rectæque rigidioris regula disciplinæ. Si enim flagrabunt duces præcipue igne charitatis Christi, et zelo sacrarum legum, deficient animo inimici, nec audebunt Vobiscum manus conserere. Eadem igitur sentientes juxta Apostolum, custodite intemeratum depositum fidei, et sustinete grave onus regiminis animarum, Nobisque opem vestram alacres præbete ad salutares regulas stabiliendas in hac nona Synodo, quam hac ipsa die 24 augusti ad Omnipotentis Dei, et Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, Beatissimæ Deiparæ, S. Michaelis Archangeli, B. Apostoli Bartholomæi, SS. Pontif. Nostrorum Januarii et Barbati, SS. Dominici et Philippi Nerii Confessorum, ceterorumque nostræ Civitatis Sanctorum Patronorum, aliorumque Sanctorum gloriam, honorem, et laudem apertam esse, atque inceptam volumus, decernimus, ac promulgamus.

TITULUS I.

De Confirmatione Synodorum usque modo celebratarum.

Dioecesanas Synodos per nos, et à Prædecessoribus nostris sancte et salubriter celebratas, pro ea tamen parte, quæ his decretis non repugnet, confirmamus, et ab omnibus, ad quos spectat observari mandamus sub pœnis in illis statutis, et comminatis.

TITULUS II.

De Parochis.

Sicut opus, quod manus Artificis e pretiosiori materia gnaviter finxit, et elegantiori forma donavit, si identidem non perpoliatur, erugo demolietur, et obscurabitur luce illa fulgentissima, qua perstringitur intuentium oculus; ita vita et mores eorum, qui veluti pennæ columbæ deargentatæ pallore auri splendent inter medios cleros, sæpe sæpius expurgandi sunt maculis temporis cursu verosimiliter contractis. Fit enim aliquando, ut sensim sine sensu etiam accuratiores aspergantur quibusdam maculis, a quibus diligenter se mundare tenentur pro decore et utilitate sui sacratissimi Ministerii.

Inique itaque non ferant, nec perperam accipiant quotquot in sortem Domini vocantur, de ipsis non semel aut iterum redire sermonem in Synodalibus Constitutionibus. De Parochis, ceterisque Rectoribus animarum primo agentes, commendamus eorum sollicitudinem in suo laborioso, et arduo fungendo munere: qua ex causa dum gratiam referimus Deo Patri omnis consolationis, fiduciam habemus in Dei auxilio fore ut arceant illi a se defectus, quibus procul dubio in animarum perniciem abutitur inimicus, qui superseminat zizania in messem Domini nostri.

Stolæ usus est certe officii symbolum, ac proinde in illis sacris functionibus, quæ eam re-

quirunt est ipsa deferenda. Solent nihilominus Parrochi illa se induere quicumque de causa, quasi signo propriæ dignitatis. Prohibuit hoc S. Rituum Congreg. decreto generali diei 7 februar. 1816 a Summo Pontifice approbato; insuper eodem decreto declaravit, usum contrarium non esse tollerandum, sed corrigendum ab Ordinariis locorum: «*Stolam non esse adhibendam*, sic laudata S. Congr., *præterquam in collatione, et confectione Secramentorum*; *ideoque consuetudinem in contrarium esse abusum per locorum Ordinarios omnino eliminandum*». Nec sibi suffragentur Parrochi præsumpti privilegii colore: quoniam facultas gerendi stolam ipsis conceditur speciali gratia, quando adsunt Synodo, publicis supplicationibus, et aliis functionibus, in quibus collegii more incedunt, ut eadem S. Cong. in Tudertina 22 aug. 1818.

Sacer Parochorum character et ministerii fiducia urget eos, et aditum illis frequentius pandunt in domestica familiarum negotia, occasionemque præbent libere agendi absque discrimine conditionis personarum et sexus. Si quando alloquuntur mulieres, attente non caveant, ne etiam pusillorum scandalis viam occludant; nequeunt omnino speratum obtinere fructum aut morum emendationem et correctionem secure intendere. Magni ipsorum interest ut in hoc irreprehensibiles sint, et nulla suspicione affecti; quoniam improborum astutia non raro evenit, ut quos alia ratione ad sustinendam exosam improbitatem non valent inducere, eorum famam sal-

tem calumniis minuere conantur, ne Parochorum auctoritas illorum effrænem libidinem coerceat. Quæ sane protervia non eluditur prorsus, nisi eam præfocet fama intemeratæ vitæ, et perspectæ integritatis. Quapropter admonemus serio omnes, qui in animarum salutem ex officio insudant, ut toti incumbant omnes cum mulieribus evitare causas, e quibus falsi etiam rumores oriantur adversus necessariam æstimationem.

Nec parum bonæ parochorum famæ officit aviditas in exigendis juribus parochialibus. Sermo hic tamen illos non perstringit, qui exquirunt ultra præscriptum; quoniam furti nota isti urerentur et gravi essent animadversione digni. Agitur vero de iis, qui licet justum non excedant, pauperiores tamen, quibus vitæ substentationem præbere deberent, contra leges humanitatis nimis dure vexant, atque impellunt. Crudele quidem, et barbarorum est, non Christianæ misericordiæ, pastorumque egenorum sortem sat lacrymabilem pro funebribus emolumentis gravare eo præsertim tempore, quo isti super consanguineorum cadavera deflent, et victum ad laxas vires restaurandas a piis contribulibus expectant. Quod execratum est Concilium Lateranense III. vetans can. 2, ne *pignora vel fidejussiones fiant pro exigendo pretio sepolturæ*; et exposuit S. Congr. Episcop. et Regul. verbis speciali consideratione dignis (a) » *I Cadaveri*, sic laudata S. Cong., *non si possono sequestrare, ne ritarda-*

(a) *Nic. m. s. Ep. verb. sepultura n.* 121.

re la sepoltura; ma si deono sepellire e poi dimandare il debito....., essendo cosa molto barbara incrudelire contro i morti, e però abbominata anche dalle stesse leggi civili ».

Attamen cum suspicari nequeamus quemquam ex parochis ita clausisse animum naturæ vocibus, et stimulis misericordiæ, ut contra has leges æquitati et christianæ charitati tam consonas agere præsumat, ideo adversus eos nullam specialem pænam hic comminamus.

Insuper Parochi ostendant sollicitudinem suam quoad observantiam dierum festorum: quocirca ante oculos semper habeant ea, quæ præscripta sunt tam in Diœcesana Synodo anni 1828 tit. 4, quam in aliis Edictis. Item qui Curæ Animarum vacant, applicare debent Missas pro populo etiam in festis, in quibus populus solutus est ab obligatione audiendi Sacrum; sic enim declaravit S. Cong. Rituum (a): hoc onus non ignorent Parochi, ut fideliter illud adimplere amplius non prætermittant, et prospiciant tranquillitati conscientiæ suæ, si ei antea non satisfecerint. Decorem autem ac majestatem sacrarum functionum amanter prosequantur, et earum dignitatem sustineant, promovendo, quæ magis erga divina nostræ Religionis Mysteria fidelium foveant devotionem. Eliminent propterea ab illis quidquid mundanam curiositatem excitat, et plebem ad profananda potius, quam veneranda sa-

(*a*) *In Aquilan.* 18. *octob.* 1818. *et prius S. Cong. Conc. in Camerin.* 28. *martii* 1891.

cra loca invitat. Diligenter adimpleant præscripta ex Rituali Romano, et decretis s. Rituum Congregationis: neque ritus improbatos retineri, nec novos non approbatos induci permittant.

TITULUS III.

De Officio judicis Ordinarii.

Postulat perampla materiarum congeries muneris Episcopalis, ut pro locorum opportunitate ac distantia seligantur probati viri, qui Vicariorum Foraneorum titulo partem sollicitudinis Pastoralis sustineant in Oppidis. Quamvis vero non sit ex hisce Vicariis adscriptis in Catalogo Curiæ Archiepiscopalis, qui ea vitæ probitate non commendetur, qua eorum dictis tuto præbeatur fides; id nihilominus non sufficit in judiciis exercendis, ubi publicæ incolumitatis interest secernere verum a falso, a certo dubium, delictum a calumniis. Divo Paulo perspecta quidem erat puritas morum, quibus fervor primi ævi ornabat omnes fideles: scribens tamen ipse ad Timotheum, præcepit ei,, *adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*,, (a) Hac infallibili norma Ss. Patres in Conciliis tam generalibus, quam particularibus prudentissimas judicialis criticæ regulas praescripsere; quas si Judices deputati in recipiendis notitiis diligen-

(a) *Ep.* 1. *c.* 5.

ter retineant, circumventionis, fraudis, et erroris periculum amovebunt. Ita etiam delinquentes reatus suos aliquo modo obtegendi in posterum ansa carebunt subterfugiis satis vulgatis privati odii, studii partium, inimicitiæ ipsorum judicum, et cœterarum hujusmodi rationum; nec tales reatus sine debita pœna facillime remanebunt, gravi damno bonorum morum, et Ecclesiae disciplinae. Propterea Vicarii Foranei diligenter vacent praedictis regulis, easque observent; ut pateant semper in eorum relationibus natura criminis, loci ac temporis circumstantiæ, nec non testium nomina, qualitates et disquisitiones, mutuaque cum reis colloquia.

Utrriusque Siciliæ Regis summa pietate factum est, ut in explanatione statuum introitus et exitus locorum piorum laicalium ad sistant Deputati Curiæ Ecclesiasticæ. Hæc dispositio, dum consulit fideliori executioni voluntatis piorum fundatorum, favet quam maxime operibus pietatis ac religionis. Quoniam autem Vicarii Foranei ad hoc opus per Curiam Archiepiscopalem designati sunt, volumus, ut ipsi perfecta constantia et solertia pietati, et Realibus legibus prospiciant.

TITULUS IV.

De vita, et honestate Clericorum.

Cum Christi Domini Sacerdotium sit ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, profecto verum est, ut inquit S. Augustinus ep. 148. *nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore difficilius, periculosius, laboriosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio.* Oportet enim ut Sacerdotes et reliqui Clerici omnibus, quoad ejus fieri potest, exornentur generibus Christianarum virtutum, et earumdem perfectissimum exemplar in seipsis exhibeant iis, quorum animos colere et ad æternæ felicitatis semitam sui instituti gratia ducere tenentur. Neque sane vocationis proposito respondebunt, neque Christi judicis rigidam vitabunt sententiam tempore visitationis, et justi judicii ejus, nisi verbo doctrinæ præbeant pascua salutis ovibus sibi traditis, et mores populorum exemplo non ædificent. Quo enim pacto suadebunt aliis, ut fidei depositum intemeratum custodiant, Dei præcepta servent, et ad Evangelicæ sublimitatis perfectiora consilia assurgant, nisi ipsi incipiant prius facere, quam docere, dictis non contradicant factis, atque aliorum mentes nimio splendore bonorum operum percellant?

Verum laudatus S. Doctor addit cit. loco, *apud Deum nihil beatius, si eo modo milite-*

tur quo noster Imperator jubet ,, Avertat proinde Deus ab Ecclesiasticis omnibus, ut petra scandali sint vel minima pravitate morum, aut causa perditionis humanis, et peregrinis doctrinis; sed beneficentissima et efficaci sua gratia efficiat, ut hi viribus intentis ad propositam beatitudinem tendant, mandatis summi Imperatoris Christi Jesu fideliter ac sollicite obsequentes. Jubet certe Christus Dominus, insignitos Sacerdotali charactere impense tueri sanam doctrinam, Beati idcirco erunt Sacerdotes, si in plebe eam in Ecclesiam, et Apostolicam Sedem reverentiam, quam et ipsi fortius necesse est profiteantur, promoveant, et indesinenter inculcent, quoniam pro certo tenendum eos, qui hoc angulari lapide non firmiter inhærent, ab omni veritate auditum aversuros, et miseranda pernicie se se ad inanes fabulas conversuros. Strenue autem, et per quam utiliter dimicabunt bella Domini, si unusquique præsertim Parochi, et Confessarii impediant, quominus libri improbati vel improbandi legantur et in vulgus effundantur. In quem saluberrimum finem conducit proculdubio, ad plenam observantiam earum incumbere, quæ reperiuntur præscripta circa onus denunciationis in appendice ad Tit. I. Synodicon Diæcesani parte 2. pag. 1. Ex num. 4. cit. loci quidem apparet excommunicatione perstringi latæ sententiæ SS. Pont. reservata, qui intra mensem Curiæ Ecclesiasticæ non deferunt quotquot ,, *senza la licenza dovuta ritengano scritti che contengano*

eresie, o libri di eretici, che trattino ex professo *di Religione, o che gli abbiano letti o tenuti, e stampati e fatti stampare, o gli leggano, tengano, stampano, faccino stampare, introducano, o difendano sotto qualsivoglia pretesto, o colore.*

Exemplo melius tamen (repetere non desistimus) quam verbis Christo duci parebunt Ecclesiastici, sanam doctrinam sustinentes, ac proinde si quid virtutem continentiæ obumbrat, diligenti studio procul a se arceant. Cum enim, ut Deo soli, ac cœlestibus vacarent securius, nuntium miserint carnis oblectamentis; si illecebris indulserint, ausum præbebunt laicis propriæ coscientiæ silentium imponendi, et in ea facillime ruendi, quæ legis Evangelicae paritas juxta naturae dictamen ne in minima quidem parte extra matrimonium permittit. Nil porro familiarum bono, prolis susceptioni, atque educationi, vel humanae societati contrarium, quam lubricam vitam, et lascivientium improbitatem tolerare.

Ut militiae sanctitati, in quam vocati sunt a Domino, respondeant, debent insuper Ecclesiastici se a maculis avaritiæ et turpis lucri servare immunes: nulla quippe conventio Ministrorum Dei viventis, et eorum qui se negotiis secularibus dedunt. Si Clerici rebus temporalibus ultra modum consulere videantur; frustra sive serentes verbum veritatis, sive altissima Religionis mysteria celebrantes nitentur plebem excitare ad contemnenda mundana oblectamenta,

et ad spiritualium dulcedinem exclusive aspirare impellent.

Ne igitur quis avaritiae nota ustus proximorum saluti offendiculum afferat, observet ea quae praescripta sunt in Diœcesana Synodo anni 1831. Tit. IV.

Diverte a malo, et fac bonum, inquit Realis Propheta. Non sufficit idcirco sectantibus, immo ducentibus sacra castra Ecclesiae malum non patrare; sed quoniam praepositi sunt ut tenebras ignorantiae expellant lucem adducant, et fovendo virtutum germina, cordibus pacem afferant veram, abundare Clerici debent in omni opere bono. Insudeant oportet in lectione et meditatione sacrorum librorum; item in procuranda sui ipsius et proximi salute, horas illas non paucas quae aut in ludis, aut in levibus conversationibus, aut in vanis oblectamentis insumuntur, ad hoc opus convertant. Cum talibus dotibus coram omnibus praefulgeant; nil quamvis difficile, quod a populo rite exquirent, non obtinebunt; familias diffidentes ad concordiam revocabunt; pravos mores corrigent; ordinem servabunt; felicitatemque optatam reddent aliis, qua uberius jam ipsi gaudebunt, praecepto gravissimo obtemperantes, *inquire pacem, et persequere eam.*

TITULUS V.

De iis, quæ ad universas costitutiones pertinent.

Omnes, ad quos spectat, pro ea parte, quae singulos tangit, praecipimus, ut suam quisque obligationem agnoscat praecipue Canonici, et alii de nostro Capitulo vel Collegiatarum Ecclesiarum, et Parrochi, Archipresbyteri, et beneficia obtinentes, omnesque etiam Clerici pro eo, quod ad vitam, et honestatem Clericorum pertinet, infra mensem, postquam impressa fuerit haec nostra Synodus, ejus exemplum penes se habere teneantur sub poena arbitrio nostro infligenda. Mandamus praeterea, ut in qualibet conferentia casuum conscientiae, et SS. Rituum, legatur et explicetur per Praefectum dictarum Conferentiarum unus saltem titulus tam hujus, quam nostrarum praecedentium Synodorum.

Judices et Examinatores Synodales confirmati sunt omnes in præcedentibus Synodis electi, et deputati.

JOANNES BAPTISTA CARDINALIS ARCHIEP.





Paschalis Canonicus Ventura Synod. Secr.